



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

22 Regina Sophia se de stupro purgavit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

quatuor Dei Evangelia ſacroſancta, quòd talem hæreſim, exprimendo eam, de qua ſum diffamatus, nunquam tenui, nec credidi, nec docui, nec teneo, nec credo, negabitque cum juramento illud, de quo eſt diffamatus. Quo facto, omnes compurgatores ponent manum ſuper illum librum Evangeliorum, & quilibet ita dicet, ego juro ſuper iſta quatuor Dei Evangelia, quòd credo ipſum verum juraſſe ut per Pegnam in *comm. 421. num. 182: par. 3. direct.*

19 Secundo ꝑ Episcopos canonica purgatione purgantur, ſi ſunt diffamati de quocunque crimine, & non convicti, præſtito juramento ſuper corpus alicujus ſancti, ut *cap. habet, cap. mennam, & cap. quanto, 2. quest. 4.* vel ſupra ſancta Dei Evangelia, adhibitis etiam expurgatoribus, de quibus in *capit. quoties frater, ead. quest. 4.* Hodie tamen Episcopos, licet convicti pro gravibus delictis ad comparandum perſonaliter citantur, proceſſantur, & puniuntur, ex diſpoſitione Sacr. Conc. Trident. *cap. 6. de reformat. ſeſſ. 13.*

20 Tertio ꝑ ſacerdotes cum ſeptem ſociis, & diaconi cum tribus ejuſdem ordinis, juramento in ſacroſancto Evangelio coram poſito præſtito, purgantur, *cap. ſi legitima. & cap. presbyter, ead. quest. 4.* & ad præſcriptam formam, de qua in *cap. omnibus vobis, circ. ſin. ead. quest. 4.*

21 Leo ꝑ enim Papa, de quibusdam criminibus diffamatus, ſe expurgando, ita inquit, Audirum, eſt fratres chariſſimi, qualiter mali homines in me gravia crimina confixerunt, quamobrem ego Leo Pontifex Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, purifico me in conſpectu veſtro coram Deo, & Angelis ejus: quia iſtas criminofas, & ſcleratas

res, quas illi mihi obijciunt, nec perpetravi nec perpetrare juſſi; hoc autem faciens non legem præſcribo cæteris, qua id facere cogantur: Et, licet ſe purgaverit, non tamen tenebatur; nec alijs Pontificibus id faciendi legem impoſuit, *c. auditum. & c. mandasti ead. q. 4.* Non enim tenetur Pontifex ſe purgare, quia à nemine, nec etiam ab univerſali concilio poteſt judicari, præterquam in hæreſi, *gloſſ. penult. eod. cap. mandasti, & cap. ſi Episcopo, in ſin. ead. quest. 4.*

22 Regina ꝑ etiam Sophia fertur ſe purgaſe de ſupro ſuo, & ſeptem honeſtarum, ac nobilium fœminarum præſtito juramento, teſtatur *Crome. lib. 9. hiſtor. Polon. 1.*

23 Purgatio, ꝑ quæ per venerabilis ſacramenti Eucharistiæ ſumptionem in eaſu furſti, in monaſterio commiſſi fuerat permiſſa, ut fratres ſe ita expurgarent, quòd Miſſa ab Abbate vel ab aliquo ex fratribus in aliorum præſentia celebrata, omnes in hæc verba communicarentur, Corpus Domini ſit tibi hodie ad probationem, per text. in *cap. ſape contigit, ead. quest. 4.* eſt reprobata, & *diſt. cap. ſape,* fuit derogatum, quia ſuſpectis non eſt danda Eucharistia, *gloſſ. in eodem cap. ſape. ubi etiam Archid. 2. quest. 4.*

24 Hanc autem ꝑ purgationem exegit Adrianus Papa, cum enim Lotharius Rex pactis cum Nicolao Pontifice initis non ſteriffet, ſed adulteram iterum in thalami partem reduxiffet, Romam profectus petiit à Papa Adriano abſolui, dicens, ſepromiſſis Nicolao factis ſteriffet. Pontifex autem pro comprobatione innocentie ad examinationem Corporis, & Sanguinis Domini, tam Regem, quàm optimates Regni invitavit, qui nihil Deū veriti, Cor-

pus